



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De reuelatione marytris nostri, cap. 65.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

stant mortalibus reliquias, vt venerantibus illas debi-  
tores fiant.

## CAPVT LXV.

**Q**uando renouata est ecclesia Bonnensis, quo-  
rundam martyrum corpora ex sacra legione  
Thebæorum illic reperta sunt; ex quibus cum  
vnum corpus integrum, & præterea pars alterius mar-  
tyris nobis data fuisset, cuidam adolefcēti talis de eis  
visio ostensa est. Videbatur sibi in somnis stare iuxta  
scrinium earundem reliquiarum, cui cum quidam di-  
ceret: Nosti quid in isto scrinio contineatur? & mo-  
nachus responderet: Etiam, corpus martyris nostri,  
ille subiunxit: Falleris, nam vir vnus, & dimidius in eo  
jacent. Quod vsque ad illud tempus omnes nos la-  
tuit. Tantæ autem virtutis sunt eadem sacra ossa,  
vt aqua superfusa, variis infirmitatibus sit medela:  
maximè tamen sanat tumores ac inflationes. Quod  
verò fidelibus in periculis succurrat, visio subsequens  
declarat.

*Visiones  
sive appa-  
ritions  
sanctorū  
martyrū*

## CAPVT LXVI.

**A**nno gratiæ millesimo ducentesimo decimo  
septimo, cruce signati ex tota Alemania ac  
Frisia, cum trecentis ferè nauibus, circa idus  
Iulii intrauerunt portum Vlixibone: in quo dum per  
aliquot dies morarentur, plures naues illic expectan-  
tes, ad petitionem Seueri Episcopi iam dictæ ciuita-  
tis, & Episcopi Eborensis, necnon & Templariorum,  
atque Hospitalariorum, castrum Saracenorum, no-  
mine Alkafer, id est, omnium carcer, obsederūt. Sexta  
verò feria post natiuitatem beatæ Dei genitricis Ma-  
ria, congregati sunt contra eos quatuor Saracenorū  
Reges, habentes in exercitu suo ad centum milia pu-  
gnatorum: quibus Christiani, numero minores, sed fi-  
de maiores, sanctum Iacobum, beatūque Vincētium  
regionis illius patronum, & alios, si quos poterāt san-  
ctos inuocantes, hostibus occurrerunt. In primo verò  
congressu, vnus regum cecidit, interfectorū verò non  
erat numerus, plurimi captiuati sunt: qui cum per  
exercitum ducerentur a Christianis, quærebant signa  
victorum,

*martyres  
succur-  
runt fide-  
libus in  
periculis*